

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 69.

Elysium-Meum.—Die Martis 3. Oct. 1809. (Neov. 15. Sept. 1809.)

Julius Caesar.

Descriptio Characteristica Cl. Arnaud.
Mundi Universi Portentum.

Justin.

Animus est adumbrandi virum, cui nunquam similis in orbe fuit, neque futurus — qui universum solum notum orbem aciem mentis ambiebat, cuius fortuna novissimum usque vitæ articulum obsecuta. — Erat is *Julius Caesar*. Tumultuosis reipublicæ temporibus natus, mox magnam indolis suæ alacritatem indicavit, prodiditque temeraria ambitiosaque molimina. Vix annum agens octavum decimum, Sullæ adversari ausus, cum Romæ eum solum Civem agnosceret, quem carnifex hinc vita donavit. Ex hoc tempore magnitudinem suam non Democraticis nobilibusque dotibus, quarum *Cato* tam excellens ei exemplum dedit, verum orbis autocratiae superstruere adausus, dextre quosvis aliarum partium, *Pisonem*, *Lentulum*, *Catilinam*, sibi adjungere noverat, quorum calumniosæ conjurationes incredibilis suæ fortunæ basim cum ipsorum auctorum exitio constituerunt. —

Casui nihil fidens, omnia ab ingenio suo, strenuitate, alacritate sua opperiebatur; petiit impetravitque prima reipublicæ subsellia, con-

tinuo paratus, armata manu ea extorquere si denegarentur. Singularem pollebat agendarum rerum promptitudine, hancque nunquam elocavit, sed sensim ad omne, quo ambitione sua ferebatur, argumentum applicuit. — Nulla secunda, nec adversa fortuna alacritatem ejus infringere visa est. Cogitatio de eo, quod sibi faciendum superesset, vix memoriae eorum, quæ jam patraverat locum reliquit. Exactis innumerabilibus præliis, in quibus de populis potentissimis bellicosissimisque in ignotis regionibus triumphaverat, id restabat unum: quod sui ipsius non oblitus sit. Pedibus suis advolutos cernens terrarum dominos, continua nihilominus animo vota fovebat, quasi nihil, quod attentione tam arrogantis excelsæque mentis viri dignum esset, inter mortales præstitisset. —

Stupor admiratione jungitur, dum omnia ejus desideria molimina factaque apud animum expenduntur. — Plura majoraque in suo ingenio reperit subsidia, quam impedire, qui consilia ejus possent, nanasceretur obices, hæcque adminicula tam prompte ei parebant, quem impedimenta inexpectata erant. Temerario, qui quodammodo fortunæ ipsi dominabatur, ausui adjunxit sapientiam eventorum antititem & antesignanam. — Nunquam molimen suscepit, nisi prævie de mediis victoriam referendi certum se reddidisset, nunquam victorem se existimabat, nisi victos de integro fregisset. — Militum suorum idolum fuit, extra prælium indulgentissime eos

tractabat, in acie severus officiorum executor, exactorque; gloriam suam iis præcipuè necessitati, victorias suas præcipuo eorum præmio constituit.

Comes, affabilis, amicus, liberalis, virtutes tenebat, quin probus esset; absque cantatione omnibus iis nuncium missurus, si hæc victima propior ad summam rerum accedere potuisset. — Ejus amicitia nequaquam erat nobilis is, delicatusque sensus, quæ alterius secunda, aut adversa fortuna, nostra efficitur, verum benevolentia, necessitate & utilitate nisa; erat merces obsequio personæ suæ præstita consiliorum & voluntatis ejus expletioni quoties post aciem illam, quæ sortem orbis ad *Pharsalum* decidit, sanguini Civis, acie illa egressi, pepercit, e re ejus erat largitio veniæ; quippe: veniam nobilissimam supremæ potestatis actionem reputabat. Comperta Pompei nece statuas magni viri a populo dirutas restitui jussit, *Marsitrophæa* etiam restauranda præcepit. Munificentia ejus indefinita, liberalitas absque exemplo erat — at quæso, quem immensarum largitionum finem habebat? animos plebis devinciendi, cujus viribus egebat, ad vires potentiamque Senatus evertendam, copiasque devinciendas, ut: primum *Crassi*, *Pompsique* auctoritatem sternere, tandem ipsam populi delere possit.

Ambitionem ejus cogitatio salutis publicæ cohibere videbatur; omnem *Rubiconem* transgredere pararet, patriæque trepidantis tantarumque calamitatum, quæ hoc ausu impenderunt, men-

Adamus Pful, gloriatus est: se solum 800 Bohemicas possessiones in bustum rede-
gisse, miseris incolis cum desolatis conjugibus pro-
libusque nihil restabat, quam opem & præ-
sidium in castris suæ parti addictorum quæ-
rere. Magna opificum in urbibus pars, tum
ultra, tum vi adacta, militiam secuta; exer-
citus euntem secuti centuplici ratione belli
auxere calamitates. Proecedentibus annis ma-
lum in immensum crevit, ita exercitus *C. a*
Gallas, 8000 circiter constantem, turba 70 —
80000 hominum omnis ætatis conditionisque
sequebatur, agri inculti jacebant, patentes
dirptionibus prædæ avidarum copiarum ex
diversis nationibus conflatarum dira & plus
quam Punica Crudelitate cuncta depascentium.
Fames usque invaluit: ut nec sepulcris par-
citurum, vigiliisque provideri debuere, ne hu-
mata Cadavera a concivibus subducta in vi-
tæ alimenta convertantur.

Sed non homines modo, sequelas furen-
tis Bellonæ experti, ærumnæ ejus in Germa-
nia saltim universam vegetantem naturam
adfecerunt.

Animalia domestica, quorum diminutio
quodvis bellum consequitur, in hoc absque
omni moderatione gesto bello penitus ferme
extirpata sunt. Ita Dux *Savelli* Cesarearum
copiarum, quosvis Colonorum Demminensi-
um & regionis equos, emtore non compa-
rente carnifici erga vile pellium pretium jugu-
landos tradidit.

Feræ quoque communis Calamitatis participes factæ. Animantes conspectum hominum alias fugientes, iisque adpropinquantibus recedentes naturæ suæ oblitæ visæ, inediaque in furorem actæ ipsos adoriri homines ausæ.

Famis comes tabes, Germaniæque ad finem hujus formidabilis belli Incolarum numerus, fide edocti *patriotæ*, 4 effecit milliones.

Plura adjuncta, quorum explicatio admodum interesset, hic tamen proluxa nimis foret, rationem nobis præbent, Populationem Germaniæ erumpentis belli tempore parum diversam statuendi ab hodierna; desunt quidem fontes, e quibus status impopulationis in singulis Germaniæ provinciis eo orto cognosceretur, quantusque numerus hostili partim ferro, partim incendio, lue, fame, ærumnis, licentia morum, emigratione occiderit; ex datis nihilominus singularium Urbium, & provinciarum *universalem* licet eruere *Conclusionem*; occasione destructionis *Magdeburgi* 19000 Incolæ vitam amisere; 1400 solum, Cives mulieres liberique discrimen evasere; *Franckenthalia*, Urbs 1800 Incolas, plurimum artifices fabricantesque complexa, ad 324 redacta; *Würtembergæ* ante bellum 500,000 Incolæ, A. 1641 septem ante Pacem *Vestphalicam* annis ægre 48,000 numeravit. Sex adhuc post pacem annis, cum fugitivi ex *Helvetia* pridem lares repetiissent, in ditione *Würtembergica* in ratione status ante proelium ad *Nördlingam*, quod anno 1634 proin 16

annis jam ab inchoato bello commissum est, 500,000 patresfamilias desiderati, 40,000 jugera vinearum, 270,000 agrorum desolata; prata & horti inculti jacebant; 300 dominalia & Communitatum, 36,000 privatorum ædificia in cineribus erant. In universa Bohemia nulla urbs, arx, oppidum, quod expilatum, litro bellico gravatum, aut succensum non fuisset. Synchrono *Balbino* mira res visa: exacto bello Bohemix aliquot Incolas esse, post tot Clades, incendia, expilationes, exilia! —

Præter hæc plures terrarum tractus & provinciæ depopulatæ, aut defectu hominum desolatæ jacebant. Multi anni post pacem effluxere, usque dimidia solum desertarum vinearum agrorumque pars culturæ subjecta; aliquibus in regionibus prior flos rediit nunquam. — Ita Bohemia ante bellum frugibus adeo abundabat, ut promptuarium vicinarum provinciarum censita fuerit! —

Parisis die 8. Sept. Monitor hesternus seqv. ex Hispania vulgat. „Sextum agmen sub imperio Ducis Elchingen. die 12. Aug. Placentia Salamanciam progressum, ubi Olivam pertigisset, comperit ab hoste validis copiis Aldenam novam del Caminho, præpripis saltus pilasque *del Banos* occupatas; præcursoria turma duce Lorcet reapse ad Aldenam novam in hostem incidit, adgressionem victoria mox consecuta, statio occupata, tertiarumque legio Hussarorum elegante impetu hostem ludit, hic minorum sub scloporum ictibus

principi in collibus Banos agmini, se adiunxit — Gen. Dux *Wilson* eos 4 hispanis, binis portugalicis, tum 1000 qui Civitate Roderico advenerunt, in summa 4—5000 viris insedit. Propemodum invincibili naturali locorum situ, consecis arboribus, vallibus, fossis rupiumque parietinis firmiorem stationem reddidit.

Utrumque Copiæ ad Banos conjunctæ, itum in hostem est. Miles in hoc articulo rerum 9 horarum, flagrantissimo sub sole confecti itineris molestias oblitus est. Legio 50 & 59 summa velocitate impetum fecit, potitaque editis est. *Wilson* collectis denuo copiis adgressionem repetiit, quod quidem ei molimen exitio fuit. Præcursoria cohors rursus se collegit præliumque hastis solo porum commissum, in quo hostis succubuit. Hussari & venatores cladi colophonem adjecere. Ultra Majorem Montem & Calzadam eum persecuti. — Modicum hoc exercitus agmen 1200 in loco pugnae relictis enormem jacturam passum, Equites nostri in pluribus locis ut pedites dimicantes æque ac res tormentaria excelluerunt.

Miles 50mæ legionis vexillum hosti eripuit. Captorum testimonio reliqua dilacerata penitusque fossis injecta sunt. Sextum agmen in progressu suo aliquot minora hostilia agmina intra montes se recipientia dispulit. Salamanciæ 1400 pedites & 400 equites Duce *Castrofuerto*, qui ubi fauces ad *Banos* superatas intellexisset, illico receptum ad Civitatem

Rodericum ingressus est. Agmen 6tum die 14. Salamenciam subiit, ab Incolia præsertim Episcopo loci comiter exceptum, omnibus de alimentis exercitus curam habentibus."

Vindobona die 2. Sept. Fertur princeps hospitium Castrense ex fonte bellaqueo Posoniam translocandum. Die 31. Aug. Imperator 2 hora matutina viam versus Hungariam ingressus (Parisinae paginae 1. Sept. vesperi ad fontem bellaqueum reversum ferunt) Exercitus Gallicus promte lineam Inducialem occupat. Austriaci regionem Olomucensem aquis circumdederunt. Tergesto ob restantem Contributionem denuo 30 obsides abducti.

Amstelodamo 7. Sept. Die 4. natalis regis nostri solenniter celebratus est — Vesperi Congressus festivus habitus, sub quo Cursor adpulit læto cum nuncio: Anglos castro Batz & Insula Sud Bavelandia decessisse.

Solennia quoque Ordinis celebrata, quorum occasione rex elegantem orationem habuit.

Contenditur: a Sua Maj. novum equestrem Ordinem-Ludoviceum erigendum, fasosia candida lucido coeruleis ductibus.

B I O G R A P H I A.

Balbinus (Bohuslaus Balbinus) natus in Bohemia Reginogratiæ A. 1626 Societatem Jesu ingressus A. 1689, ætatis 78 supremum diem obiit. Erat Coævus bello tricennali, sub quo ærumnas provinciarum, hominumque, præsertim Bohemiæ, descripsit. Inter plura quæ reliquit opera, memoratu dignissima: *Epitome rerum Bohemicarum.*